Epistola 95 JOHANNI COCCEJO GERHARDUS COCCEJUS. 111

S. P.

Mi charissime frater.

Civis vester d. 5 huj. ad nos venit, et literas mihi ex itinere reddidit. Juvi ipsum consilio quantum potui. Eventum ~~[illegible]~~ ipse referet. De libro Dni Hildebrandi placet judicium tuum. Quod ad phrases attinet, facile in hoc assentior, optandum esse, ut quam commodissime ~~et~~ tutissime enuncietur definiaturque, quod in rebus Theologicis statuendum est. Veruntamen optandum simul, ne quidam, dum de phrasibus et modo rei nimis soliciti sunt, rem ipsam perdant, aut cothurnis suis, et sententiam suam et veritatem occultent, ecclesiae detrimento ac infamia, piorumque multorum scandalo; hominibus magis servientes, quam Deo et veritati. — Antagonistarum judicium scire aves. Nondum plane compertum habeo, quid dicant. Audivi tamen, Pelckovium unum scriptum hoc publice nuper turpiter fere his verbis, non declarationem esse, sed mendacia. Ille vir pro pietate sua, Statuum amplissimorum mandata floccifaciens, liberrime in Doctores nostros (die grosse Doctores, die die lange dissertationes schreiben) effutit, quod lubet, ac anathemate ipsos ~~[illegible]~~ dissertationesque ipsorum e suggestu ferit. Sub injuriis hisce gemunt adhuc ceteri viri boni, donec Dno visum est. D. Bergius illas tandem ante sesquihoram placida morte, eheu! superavit: eheu, non aliter piam animam eluctari potuisse! Sed fuit ~~et~~ haec voluntas Dni. Is servet superstites, et gubernet ecclesiam et scholam contra assultus Satanae. Dns M. Richelius heic accepit literas tuas, et quas mitto, ante biduum ad te dedit. Parabat nuptias cum filia D. Bergii natu maxima, ad prop. d. Martii. ea nunc ob insperatum patris obitum dilatae. Gratulor occasionem conditionemque, quam, ut retulit D. Crocius, nactus es edendi Operis tui. Faxit Deus, ut id fiat ad gloriam nominis sui. Commentarium ad init. epist. ad

000. 3. pag.

fol. 651.

Ephesios expectamus. De re tua pecuniaria ero solicitus, si [illegible] rescisces D.V. tempori, quid futurum sit. Ego via se recte habitura spero.
Uxorem meam (ex abortu (proh dolor!) non mediocriter aegra) offendit lator harum, item ex febricula Elisabetham nram. Utraq gratia Altissimi revaluit: nondum tamen in publicum uxor se proripuit. Misereatur deinceps nostri omnium pater ille miserationum.
Saluta ab utroq nrum costam tuam, et valete rectissime cum tota familia; sitis apud Deum non immemores; uti nec sumus vestri.
Dab. Bremae d. 13 Aug. 1642. ipso meridie.

Tui amantissimus
Frater.

G. Cos[...]

Fratri charisſimo
Dn̄o Johanni Coch,
S. L. profesſori
in celeberrima
Franequerana.